

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Diascepsin Hanc Theologicam De Coelo Beatorum

**Pfaff, Christoph Matthaeus
Bardili, Eberhard Ludwig
Maercklin, Friedrich Jacob**

Tubingae, 1722

VD18 15032876-ddd

Prologus

[urn:nbn:de:bsz:31-130208](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130208)



PROLOGUS.

Sæpius jam iterumque, lector bene-
 vole, nobiscum constituimus, *de*
cælo beatorum cogitata nostra in
 chartam conjicere. Nec est, quòd
 existimes, vile esse & tritum hoc argumen-
 tum. Adeò enim vile non est, ut potius
 longè præstantissimum sit. Qui enim in
 Symbolo profiteamur, Christum in cælos
 ascendisse, qui Patrem, qui est in cælis, coti-
 diè invocamus, qui ipsi animos nostros sur-
 sum tollimus & futuram istam beatamque
 civitatem, quæ æterna est, quæ præstantissi-
 ma est, magno pectoris nostri desiderio an-
 helamus, haud utique peccaverimus, si san-
 ctâ istâ curiositate tangamur, quæ cælum
 beatorum penitiorè & acroamaticâ tracta-
 tione referat atque ea, quæ de hoc argu-
 A mento

mento sacrae memorant literae, curatius explicat atque in unum fundit. At verò nec tritum est, ut arbitramur, hoc argumentum. Etsi enim veteres Theologi multa hanc in rem scripserint; recentiores tamen vix aliqua haec memorant, videasque & veteres & recentiores subinde in determinandâ veritate hîc plurimum titubare. Haud itaque, ita credimus, malè actum fuerit à nobis, si cogitata praestantissimorum Virorum in unum acervum conglobata dilucidâ brevique scriptione digesserimus.

§. I.



Ocelorum in sacris literis varia est significatio. Qui omnia in unum fusa hîc nosse voluerit, adeat PET. RAVANELLUM (a). Nos breviter, quae necessaria sunt, dicemus. Scilicet caelum in sacris literis sumitur mox pro aëre & nubibus, mox pro caelo isto, stellis toto exornato, & fixis & erraticis, mox pro habitaculo Angelorum, beatorum spirituum & ipsius Dei, cujus & thronus visibile hoc caelum esse dicitur. Imò caelum quandoque Deum

(a) in Bibliothecâ sacrâ, voce *caelum*. Adde JO. CASP. SUICERII Thef. Eccles. in voce *regni*. Taceo alios quam plurimos. Velim tamen, ut autoribus citatis orthodoxiae affundas sal, quae hypotheses eorum diluantur, rectificentur & sublimentur.